

viduali, sed tamen unitas, quæ complete, et absolute ex omni parte reddat rem indivisam, non potest inveniri sine individuali unitate. Et sic remota individuali unitate, dicimus, quod non manet unitas formalis, vel transcendentalis intacta, ita ut maneat una, et communis multis, sed communicata, et divisa multis, in unoquoque autem individuo, vere et proprie manet conjuncta individuali unitati, in multis autem manet divisa et multiplicata, sed cum convenientia, et similitudine, quæ fundamentum est unitatis abstracte cognitæ ab intellectu, non formalis unitas in re existens communis, sed communicata.

IX. Quinto, inquires quid sit ista unitas rationis quæ formaliter convenit naturæ apprehensæ in universali, et quomodo differt ab unitate formali, et transcendentali, et quomodo illa unitas ens rationis est cum nondum sit universalitas logica, sed solum ad metaphysicum universale pertineat? Respondetur hoc etiam explicasse non citato loco logicæ. Et dicimus quod naturæ in re universalitatem non habent, quia in re nihil datur, quod non habeat esse productum, vel a se. Si a se, est Deus qui est singularissimus. Si productum, est esse singulare, quia est factum per actionem Dei singularis, est enim actio Dei ita singularis, sicut ejus natura. Vel ergo facit naturam aliquam universalem habentem esse distinctum a singularibus, vel non. Si distinctum a singularibus, ergo illa natura non est communicabilis omnibus, nisi corrumpat illud esse, et dividatur ipsa, et tunc non manebit universalis, quia universale debet esse communicabile multis, et abstractum ab illis, unde si hoc abstractum esset penes aliquod esse ab illis distinctum non posset illis communicari, nisi corrupto et destructo tali esse.

Si autem est indistinctum esse a singularibus, ergo non habet natura esse a parte rei universalis in esse, si quidem esse solum est singulare.

X. Quapropter cum abstractio universalis non fiat secundum aliquod esse reale, consequenter solum fit secundum esse rationis, ita quod cum ratio nostra apprehendit naturam aliquam in universali, omissis individualibus differentiis, in ipsa apprehensione considerat illam, ac si haberet esse abstractum ab individuo, quod in re non habet, quia etsi natura illa in re sit in individuo, non tamen eo modo, scilicet ut abstracta. Sicut ergo si in re haberet esse abstractum ab individuo, hoc ipso ex vi talis separationis sortiretur unitatem non individualem, sed oppositam individuali, quia abstractam ab omni individuo, quæ unitas pertineret ad statum separationis, quia licet natura secundum se esset communis, et communicabilis individuo, tamen status ille non esset communicabilis, quia universalitas ad individua non descendit, et ratione ejus diceretur natura habere unitatem separationis; ita nunc eam unitatem sortitur beneficio intellectus abstrahentis, et reddentis naturam in esse separationis, et abstractionis. Et hæc unitas distinguitur a formali, transcendentali, et individuali, propter distinctam habitudinem, et modum indivisionis, inde enim hoc quod constituit naturam indivisam divisione per contractionem rationis, et multiplicationem in multa, hoc ipso quod accipit illam, ut separatam ab omni individuo per abstractionem rationis, ita quod abstractio divisionem contractionis negat. Et in hoc differt ab unitate formali, quia hæc solum dicit rem ut non divisam modo formali, id est, per differentias essentielles, seu quidditativas, et ab in-

dividuali, quæ dicit indivisionem penes differentias materiales, et non essentielles, et a transcendentali, quæ dicit indivisionem per differentias entitativas; abstractiva autem unitas dicit indivisionem per negationem contractionis dividens. Et præterea unitas formalis, et transcendentalis etiam in individuo inveniuntur, et ad ea descendunt, non vero unitas abstractionis, et universalitatis, ergo ab illis differt, multo magis ab individuali, quia ei opponitur, et ab ea abstrahit. Et sic cum abstractio, et contractio beneficio rationis fiant, etiam indivisio a contractione est indivisio, et unitas rationis. Et quia in re unitas formalis, et transcendentalis solum inveniuntur alligatæ, et conjunctæ individuali, intellectus autem præscindit, et separat illam unitatem formalem ab individuali, ideo intellectus id in quo conveniunt omnia individua, et similia sunt, ratione separationis, et abstractionis ab omni individuo accipit non per modum convenientiæ, sed unitatis oppositæ individuali, et loco illius subrogatæ, ut naturam in esse abstractionis accipiat, quasi in statu unitatis completæ secundum abstractionem, sicut in individuo est in statu completo unitatis per ultimam contractionem.

XI. Cum autem quæritur, quomodo sit aliquid rationis cum antecedat relationem rationis, quæ constituit universale logicum, respondetur quod illa unitas est aliquid rationis, tum propter negationem divisionis, quæ fit in contractione, tum quia attribuitur ratione status abstractionis, seu separationis ab individuo, ratione cujus sequitur esse abstractum, quod est esse rationis, et adest unitas etiam rationis. Relatio autem ad plura sequitur, et fundatur non in unitate separationis formaliter (licet illam neces-

sario præsupponat, ut conditionem, sine separationem enim non daretur superioritas ad relationem illam requisitam) sed in aptitudine, quæ facta segregatione ab individuo in illa natura sic apprehensa resultat, ut individuo communicetur, et in illis sit, manet enim natura illa communis, seu communicabilis ad illa, in quibus in re nata est inveniri, et a quibus segregatur per intellectum, et consequenter manet cum aptitudine, ut sit in illis, et in hac aptitudine fundatur relatio respiciendi individua, ut inferiora sibi, quia in illis esse potest per communicationem, et superioritatem habet per abstractionem tamquam ad multa se habens, et non æqualis uni.

XII. Ultimo, inquires an unitas numerica, seu singularis sit aliqua realitas præter transcendentalem, et formale, illique superaddita. Non loquimur de unitate numerica, ut quantitativa, sic enim certum est addere supra substantiam id quod quantitatis est, sed hoc est accidentale, et non potest formaliter constituere substantialem unitatem singularem, sed supponere, licet ad illam sit conditio requisita in rebus materialibus, ut tractavimus late quæstione XI de generat. art. III et IV. Loquendo ergo de unitate singulari substantiali, qui censent unitatem addere modum positivum enti etiam in unitate transcendentali, a fortiori id dicent de individuali, quæ minus intima est, utpote de se non pertinens ad quidditatem formalem rei, sed ad statum modumque quidditatis per individuationem. Cæterum cum præcedenti articulo dictum sit unitatem non esse aliud quam entitatem ipsam rei ut indivisam, sicut gradus individualis non dicit aliam entitatem a gradu superiori, ita nec unitas individualis, sed est eadem entitas non absolute, sed cum habitudine, et connotatio-

ne ad conditiones requisitas pro individuazione, seu multiplicatione individuali, sine quibus non redditur ipsa quidditas, seu natura individuali, aut multiplicata individualiter, eo quod individuatio, ita pertinet ad substantiam quod non constituit formaliter essentiam, neque ejus multiplicatio facit essentialiter dividuam naturam, ut latius diximus citata quæstione IX de generatione. Et inde est, quod principium, et fundamentum hujus individuationis, et multiplicationis ejus in rebus materialibus non est forma, seu entitas, aut quidditas rei, prout exercet id quod proprium formæ est, scilicet specificare, et constituere quidditatem, aut quidditative facere differre, sed prout materializatur, et dicit ordinem ad conditiones materiales, quibus sic multiplicatur natura substantialiter, et entitative, ut non essentialiter multiplicetur. Igitur hæc entitas prout indivisa non solum formaliter, sed etiam materialiter, et secundum conditiones materiales, ita quod ulterius non est divisibilis, et multiplicabilis, neque formaliter, seu essentialiter, neque materialiter, sed complete, et ex omni parte est indivisa, dicitur unitas individualis, quod solum ratione differt ab unitate formali, et transcendentali, sicut gradus individualis a gradu specifico, requirit tamen entitatem cum habitudine ad aliquas conditiones extrinsecas, et significationem materiæ, ut possit esse principium hujus individuationis et multiplicationis in rebus materialibus, ubi incommunicabilitas ultima ex ultimo subjecto, quod ex materia desumitur. Videantur quæ diximus loco citato de generatione et Suarez, disp. V met. sect. II.

ARTICULUS III.

Notationes pro rationibus, quibus probat D. Thomas Deum esse unum.

I. Gentilium error vel potius cæcitas de pluralitate deorum, et vanitate idolorum, evangelio Christi coruscante penitus est contrita juxta Isaïæ prædictionem, c. IV: *Elevabitur Dominus solus in illa die et idola penitus conterentur.* Quorum vanitas tanta fuit, ut ad hominum arbitria divinitas, aut concederetur, aut negaretur, et ut Tertullianus inquit in apologetico, c. V: « Apud vos (loquitur ad Romanos) de humano arbitratu divinitas pensatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius esse debet. » Cæterum etiam apud gentes unum summum Deum inter omnes agnitum fuit, ipse Tertullianus in eodem libro, c. XXIV, docet: « Nonne, inquit, conceditis de æstimatione communi, aliquem esse sublimiorem, et potentiorum, velut principem mundi perfectæ peritiæ, et majestatis? Nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summæ dominationis esse penes unum, officia penes multos velint. »

II. Igitur contra hanc gentium cæcitatē plures sanctorum patrum nervose decertarunt, Justinus martyr, Aristides, Athanasius contra idola, Lactantius, sed inter omnes feliciter Tertullianus in hoc apologetico, in quo ut Lactantius etiam confitetur lib. V instit. c. IV: « Hanc causam videtur plane perorasse. » Et S. Hieronymus in epistola ad Magnum: « Apologeticus, inquit, ejus, et adversus gentes libri, cunctam sæculi continent disciplinam. »

III. Fuerunt tamen, et hæretici nonnulli etsi non in vanitatibus ido-

lorum, certe in vanitatibus suorum errorum plures deos inducentes, ut Marcion, et Cerdon contra quos agit Tertullianus lib. I in Marcionem, Manichæi, contra quos agit Augustinus lib. de hæresibus, c. XLVI. Ut omittam Valentinianum antiquiorem, qui non solum duo summa principia, ut isti, sed: « Liberalior (inquit Tertullianus, lib. I in Marcionem, cap. V), usque ad triginta æonum fœtus, examen divinitatis effudit. » Æones idem est, quod sæcula, quæ iste fabulosus hæreticus in originem Dei induxit, ut ex Augustino, Isidoro, Rabano, et Gratiano adnotavit Pamelius ad librum Tertulliani contra Valentinianos in initio annotationum. Occasione etiam mysterii Trinitatis explicandi multi lapsi sunt, tres Personas, tres deos asserentes cum diversis naturis, quod de Philopono qui dictus est Joannes Grammaticus Nicephorus testatur, lib. XVIII historiæ, cap. XLVIII. Et nostris temporibus Valentinus gentilis pluralitatem in natura divina dogmatizavit, ut refert cardinalis Bellarminus, præfatione in secundam controversiam generalem de Christo, tomo I, licet postea videns non posse unitatem Dei negari in Scriptura ad Arianismum defecit, solumque Deum Patrem esse summam divinitatis essentiam asseruit, Filium autem, et Spiritum Sanctum non esse divinam essentiam, sed proles essentiæ longe illa inferiores. In quam speciem erroris etiam quædam propositiones Raymundo Lullio inscriptæ videntur consentire, licet Vazquez hic circa articulum tertium dicat non habuisse hunc errorem Lullium, reprehendatque Bernardum Lucemburgensem qui eum illi attribuit. Sed debuisset videre Heimericum in directorio, p. II, q. IX, num. V, ubi refert inter alias propositiones Lullii hanc: Deus habet multas essentias, et propositionem

XI: Deus Pater est antequam Deus Filius, et X: Essentia, et natura Dei Patris generat Filium, et XVII: Dei Filii essentia relata ad Personam Filii sic est genita sicut est ingenita essentiæ Patris relata ad Personam Patris.

IV. Cæterum quidquid sit de erroribus, tamen Deum esse unum omnino in natura, et essentia, non solum fides clamat dicente Scriptura Deut. VI: *Deus tuus Deus unus est*, nec alium præter ipsum ubique clamante Scriptura, sed naturali lumine plane demonstratur, communiterque catholici doctores ex hoc quod Deus est summe et infinite perfectus, summe esse unum deduxerunt. Unde illa vox est apud Tertullianum, lib. I in Marcionem, c. III: « Veritas christiana districtè pronuntiavit, Deus si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debeat. » Proinde sic ibi argumentatur Tertullianus: Deum summum magnum esse inter omnes convenit, nam modicum aliquid Deum esse nullus dicet, nisi auferendo quod Dei est, de ratione autem summi magni est, ut illi nihil adæquetur, nec par habeat, quia si habet par, non est summum (scilicet positive super omnia) ergo debet esse unum, quia si aliud sit summum magnum, aliquid ei erit par, eique adæquabitur. Si autem ponantur plura summa magna negative, id est, quorum neutrum sit majus alio, pari ratione si ponuntur duo dīi, possunt poni quatuor, aut decem, aut mille, imo infiniti, quia non est major ratio de duobus quam de aliis multis. Tot ergo erunt dīi, aut plures, quot creaturæ. Quid absurdus?

V. Ex hac ratione, quæ apud antiquos patres in pondere fuit, deduxit D. Thomas præcipuas, quibus veritatem hanc ostendit. Plures af-